

ALEXANDER GALLETTI Patricius Arretinus Eques Ordinis Beati Stephani  
Dei, et Apostolicae Sedis gratia episcopus Solensis et Coadiutor Vo-  
laterranus

Ea quae animarum pericula submovent, et gregi Nobis credito spirituale  
auxilium afferre possunt sedulo amplectentes, supplicationibus hominum  
Coloniae de Cecina inclinati, qui occasione pastoralis visitationis  
in eas partes nuper per Nos factae Nobis dolentes exposuerunt quod ipsi  
qui sub parochia Plebania nuncupata S.Hilarii de Bibbona huius dioecesis  
existunt ob distantiam locorum, atque itineris incommoditatem hiemali  
praesertim tempore quo viae quae ad dictam ecclesiam parochiale ducunt  
maximae coenosae redduntur, non possunt nisi summa difficultate et  
periculo infantes pro suscipiendo Sacro Baptismate ad illam deferre  
adeo ut per cappellanum ibidem degentem praeter prescriptum ab ecclesia  
ritum eos ut plurimum baptizari facere cogantur, idcirco a Nobis enixe  
petierunt ut eorum commoditati prospicientes ad dismembrationem, et  
respectivam erectionem novae parochiae in dicto loco constituendae  
procederemus: Quare volentes tam iustae dictorum incolarum instantiae  
ac petitioni pro Nostri pastoralis officii debito indulgere, attenta  
praesertim Benigna Annuentia Regiae Celsitudinis Petri Leopoldi Primi,  
Regis Hungariae, et Boemiae Principis, Archiducis Austriae, et Magni  
Etruriae Ducis, nec non habita prius per Nos diligent super expositis  
inquisitione, citato et audito rectore dictae parochialis ecclesiae  
Plebaniae S.Hilarii de Bibbona, audito etc. dictae Coloniae Administro,  
et examinatis formiter pluribus ex dicto loco fide dignis testibus,  
illisque per eorum depositiones, aliasque legi optimas probationes  
concludenter verificatis praefatam COLONIAM DE CECINA cum ecclesia  
sub titulo S.Josephi ibidem existenti, eiusque incolis, et familiis  
a parochiali ecclesia S.Hilarii de Bibbona auctoritate Nostra ordinaria  
ac etiam a Sacro Concilio Tridentino Nobis delegata SEPARAMUS DIVIDIMUS  
ET DISMEMBRAMUS, dictamque ecclesiam cum Colonia de Cecina et illius  
districtu, videlicet

a Mare per lineam rectam ad terminum nuncupatum delle Porcareccine,  
et a dicto termino ad terram vocatam di Ceci, et hinc ad rivum de  
Linaglia, et procedendo per dictum rivum versus Mare, usque ad flumen  
Cecinae in eo loco ubi rivus Linagliae influit in dictum flumen Cecinae  
quibus terminis Commune Bibbonae dividitur ac separatur a Paratino  
Tenore praesentium IN PARROCHIALEM ECCLESIAM BAPTISMALEM AMOVIBILEM  
AD NUTUM ERIGIMUS ET CONSTITUIMUS, in eaque SS.Eucharistiae Sacramentum  
Fontem Baptismalem Olea sacra Coemeterium Campanile cum campanis et alia  
quae ad parochialem ecclesiam pertinent, retineri et custodiri mandamus.  
Declarantes tamen quod aedificia nuncupata "della Magona" e "del Fitto"  
sint et remaneant in antiqua possessione habendi Cappellanum sive  
Cappellanos pro administrandis sacramentis hominibus ac personis addictis  
ac inservientibus praefatis aedificiis, absque eo quod Parochus dictae  
Coloniae de Cecina nunquam praetendere possit ac valeat ullas ibidem  
functiones facere, excepto casu quo fuerit vocatus ab iis qui dictis  
aedificiis pro tempore praeverunt.

Ecclesiae autem praedictae in parochialem ut supra erectae jura omnia  
et privilegia quae coeteris parochialibus ecclesiis de jure competunt  
concedimus, et illis gaudere debere decernimus; eiusque pro tempore  
rectores "Prioris" titulo decoramus, et ut Batulo nigri coloris in  
quibuscumque functionibus ecclesiasticis publicis ac privatis, tam in  
propria ecclesia quam in aliis dicti Plebatus ac Sextus, libere et  
licite uti possint ac valeant benigne indulgemus.

Et cum parochialis ecclesia de Bibbona nullam suorum reddituum dismembrationem pati possit, declaramus pro congrua dictae ecclesiae Dote, et novi Parochi ac eius successorum substentatione sufficere quidquid a Regia munificentia Magni Etruriae Ducis Cappellano praedictae ecclesiae elargiri solet, cui etiam elargimus fructus redditus et proventus universos Simplicis Beneficii seu Cappellaniae sub invocatione S.Antonii in ecclesia parochiali de Bibbona, eidem ecclesiae de Cecina per acta huius Curiae Episcopalis perpetuo adnexae atque unitae. Decernentes quod homines dictae plebaniae ex quo praedictus Parochus est sufficienter provisus nullatenus teneantur eidem solvere, prout hactenus nunquam solvere consueverunt, Decimas parochiales, et Taxas pro Funeribus defunctorum.

Et ad hoc ut tollantur omnes dissensiones, quae occasione dictorum funerum oriri possent inter parochum et haeredes defunctorum decernimus quod dictus parochus consequi tantummodo debeat eleemosinam Missae celebrandae pro quolibet defuncto, quae si, prout haeredibus libuerit, decantata fuerit, sit Trium Juliorum; si autem lecta, sit Unius tantum Julii; et insuper lucretur falculas cereas accensas tam circa cadaver quam super altare seu altaria. Et casu quo aliquis vellet invitare alium, vel alios praesbyteros, pro associatione cadaveris, ac etiam pro exequiis, tunc ultra dictos tres Julios, pro eleemosina Missae decantatae, habere insuper et consequi debeat Libram unam, solidos octo et denarios quatuor, seu unam monetam vulgo dictam "Piastrino" pro dupla. Si quis vero sepeliri voluerit more pauperum, tunc parochus observare teneatur dispositionem Legis Imperialis super sumptibus funerum.

Declarantes etiam quod Parochus pro tempore dictae ecclesiae teneatur et obligatus sit continuam residentiam ibidem facere, infirmis eiusdem parochiae adsistere, sacramenta ministrare, Missam omnibus diebus festis, comprehensis etiam iis quibus servilia opera facere licet, pro populo applicare, illumque in Fidei Christianae rudimentis, et in iis quae credenda et agenda sunt opportune instruere, ac omnes denique hortari ut assiduas ad Deum praeces fundant pro incolumi ac felici statu Suae Regiae Celsitudinis, ac totius Regiae Domus cuius insigni liberalitati huiusmodi beneficium acceptum referre debent.

Ipsius autem sic erectae parochialis ecclesiae amovibilis juspatronatus sive jus eligendi et nominandi Parochum amovibilem ad nutum in quocumque casu vacationis praefatae Regiae Administrationi Possessionum Suae Regiae Celsitudinis spectare et pertinere decernimus.

Volentes et mandantes quod rectores pro tempore Ecclesiae Matricis de Bibbona sint et remaneant semper in antiqua possessione vel quasi accedendi quolibet anno ad ecclesiam de Cecina die decimaseptima Januarii qua die celebratur festum S.Antonii Abbatis, nec non feria quinta Majoris Hebdomadae et celebrandi primo dicta die Missam in eadem ecclesia, nec non ibidem faciendi solitam benedictionem, et in altera die celebrandi pariter Missam, Confessiones audiendi, populumque Fidei Christianae rudimenta docendi.

Praeterea ut dictae Matrici ecclesiae debitus honor servetur et exhibeat volumus quod Parochus pro tempore ecclesiae S.Joseph de Cecina teneatur et obligatus sit singulis annis die Sabbati Sancti accedere ad ecclesiam Plebaniam de Bibbona, ibique Benedictioni Fontis Baptismalis coeterisque Functionibus in dicta ecclesia peragi solitis

interesse atque adsistere. Et vice versa rector pro tempore ecclesiae Matricis de Bibbona teneatur et obligatus sit in Sabbato quod antecedit Solemnitatem Pentecostes accedere ad ecclesiam Filialem de Cecina ibique Benedictioni Fontis Baptismatis adsistere

In quorum etc.

Datum Volaterris in Nostro Episcopali Palatio hac die 6 septembris 1771

ALEXANDER EPISCOPUS COADIUTOR

L.S.

Joseph Antonius Cailli  
cancellarius episcopalis

ALEXANDER GALLETTI Patricius Arretinus Ordinis Sancti Stephani Eques Dei sanctaeque apostolicae (Sedis) gratia episcopus Volaterranus etc. Universis et singulis.etc. Noveritis qualiter vacante parochiali ecclesia plebania S.Hilarii de Bibbona nostrae volaterranae dioecesis per obitum admodum reverendi Cosmae Gotti illius ultimi et immediati rectoris et pacifici possessoris extra Romanam Curiam sequutum de mense novembri anni 1779, comparuit coram Nobis D.Joseph Geri, uti et tamquam deputatus ab ill.mo et clar.mo domino senatore equite comite Friderico de Montauto Regiarum Possessionum praeside, constitutus per epistolam diei 6 Februarii 1781 in Actibus exhibitam, et in manibus Nostris relaxatam scripturam sequentem videlicet Coram ill.mo ac rev.mo domino D.no Episcopo Volaterrano comparet dominus Joseph Geri uti et tamquam deputatus ab ill.mo et clar.mo domino equite comite Friderico de Montauto senatore florentino, et Regiarum Possessionum Magni Etruriae Ducis praeside, prout ex epistola supradicti diei, quam exhibuit atque produxit etc. et breviter exponit Dominationi Vestrae Ill.mae et rev.mae qualiter parochialis ecclesia Plebania nuncupata S.Hilarii castri Bibbonae nostrae volaterranae dioecesis per obitum admodum rev.di domini Cosmae Gotti illius ultimi et immediati rectoris et pacifici possessoris de mense novembri anni 1779 extra Romanam Curiam sequutum vacavit et vacat ad praesens. Eius quidem ecclesiae juspatronatus, sive jus eligendi nominandi et praesentandi rectorem ad illam quotiescumque vacare contigerit ad praelaudatam Regiam Celsitudinem spectat et pertinet. Et cupiens praefatu: comparens nominibus dictis dictam Ecclesiam de idoneo providere rectore ne ob diutinam vacationem detrimentum aliquid in spiritualibus et temporalibus patiatur per praesentem actum eligit et nominat atque praesentat in novum rectorem Plebanum nuncupatum admodum reverendum dominum Johannem Salvini sacerdotem de Querceto huius nostrae dioecesis, petens et instans huiusmodi electionem nominationem et praesentationem recipi et admitti, et suis loco et tempore licteras institutionis ad eius favorem expediri jurans in animam eius predictis nominibus quod in praemissis non interveni: nec interveniet dolus fraus simoniae labes nec quaevis alia illicita pactio, vel corruptela etc. Et haec ad praesens etc. reservans etc. non solum, sed et omni etc. Die 17 Aprilis 1781 exhibita per dictum dominum procuratorem nominibus, qui iuravit in formam etc. Nos vero ALEXANDER GALLETTI episcopus volaterranus etc. antedictam electionem nominationem et praesentationem praedictas admisisimus si, et in quantum etc. Nosque paratos obtulimus constito tamen prius de dicto asserto iurepatronatus et de idoneitate praesentati ad institutionem et confirmationem petitas prout juris fuerit deveniendum. Sed volentes